

CAPUT XVII.

DE RENOVATIONE INVE- STITURÆ, ET LAUDE MIO.

I.

*Quando
fieri debeat
renovatio
investituræ.*

Quotiescunque vel Dominus, vel vasallus five morte, five alienatione, five feloniam mutatur, toties fieri debet renovatio investituræ, seu confirmatio contractus feudalis, & juris feudistici, antea jam constituti, & in successorem devoluti. *II. F. 3. pr. 24. 32. 40. 55. art. 21. 25. 50. Juris Sax. Feud. C. XLIII. Jur. Feud. Alem. Cap. Leop. Art. IV. Rosenth. c. 6. c. 30.* tum, ut mutato domino appareat, quod dominus, qui succedit, a vasallo agnoscat, tum ut constet successorem vasalli a Domino rem in feudum, & tanquam beneficium recognoscere, tum denique, ut declaretur, dominum illum, qui petit renovationem, pro vasallo habere, sicque longinquitate temporis jus domini, & vasalli non obscuretur, & reddatur dubium. *Sylvan. de recogn. Feud. qu. 12. cujus rei originem eleganter exponit Struv. Cap. X. Aph. 1. num. 2. Ord. Pol. Magd. C. VIII. §. 1.* Accedit, quod in feudis regulariter fides juramento promitti debeat, hocque juramentum cum morte jurantis, quoad vinculum perjurii expiret. *Dd. ad C. 14. X. de jurej.* Qua de causa necesse est, ut denuo jurato promittatur fides. Sunt, qui putant, hac renovatione & id agi, ut possessio in vasallum transeat. *Boc. de Inv. Feud.*